

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

Caput V. De Regno Burgundiae In Francorum

urn:nbn:de:bsz:31-102564

gni paterni administrationem suscipiebat. Vid. Vignierius Chron. p. 20. Io. Bapt. Ricciol. Chronol. reform. tom. 3. pag. 138. Aubertus Miraeus annum 520. supputat, quod temporum numeris non respondet, siquidem hoc anno Sigismundus inssu Clodomiri foedo mortis genere est extinctus, Turon. lib. 3. cap. 6. Vignier. Chron. p. 21. Auctor additionum ad summam Conciliorum Bartholomaei Caranzae existimat, tempore Gelasi I. Pontificis indictum celebratumque fuisse concilium Eponense, pag. 286. Quod neque ullo veritatis indicio colligi potest, et refellitur argumento regni multo serius a Sigismundo suscepti, quoniam initium eius Symmacho, et exitus Hormisdæ Pontifici congruit. Quare ab aliis in annum 517. quo Hormudæ Pontificatum gessit, reuocatur, apud L. Bail. tom. 7. Summ. Concil. p. 181. Esi index Chorographicus, qui in aditu eius tomis conspiciuntur, annum Symmachii Pontificatus convenientem, qui est 509. denotat, a quo dissentit Veneta Conciliorum editio, quæ Hormudæ Pontif. intervallum designat. Mea opinione hoc concilium omnino A. 509. habitum est, atque adeo respondet A. undecimo Symmachii Pontifici, quam sententiam amplexi sunt Caesar Baronius in annal. ecclesiast. ad b. A. et Severinus Binius in Concil. Epauensi p. 552. et not. p. 555. At Petrus Crabbe perperam in Gelasi I. Pontificatum reuocit, tom. 1. concil. col. 537. Vicunque sit, Burgundionibus id certe Franci acceptum ferunt, quod verae et salutaris religionis disciplinam secuti sunt, quoniam Clotildis Christi sacra in Franciam attulit, et Clodouasum ad ea amplectenda identidem cohortata est, Turon. lib. 2. cap. 29. Aimoinus lib. 1. cap. 14. Quo factum est, ut voti religione se obstringeret, si Alemannos vinceret, Christo nomen daturum, ibidem cap. 30. Cumque id Dei benignitate evenisset, hostesque castris exuisset, et iam ita domuisset, ut ditioni suae subicerentur, votum Deo nuncupatum persolvit, Remigioque se abluendum obtulit, et solenni pietatis formula sacris initiatus*, certum aeternae salutis vadem, noxarumque per eum expiatarum pignus accepit, ib. cap. 31. Quamobrem in priscis, quas de Remigii ac Barbilidis vita supersunt, monumentis lego, Clotildem appellatam fuisse Christianissimam, quam rebus diviniqve cultus viam atque rationem ei tradidit mater, femina integra et a labe Ariana immunis, quam semel iterumque Sidonius collaudavit.

* Hoc Franciae Christianae initium fuit, multo ante enim Gallia Christi sacra suscepit, v. Franc. Feuardentius in annotat. ad Irenaei lib. 1. adv. haeres. p. 54.

CAPVT V.
DE REGNO BURGUNDIAE IN FRAN-
CORUM I. STIRPIS PROVINCIAM REDACTO
ATQVE HINC DIVISO.

Oppressis ita veteris Burgundionum familiae regibus, Franci Clotharius et Childebertus Burgundiam ditioni suae subiecerunt, et praeteritis Clo-

Clodomiri filiis, eam partitis rationibus regendam susceperunt, Theodorico autem Clodovaei notho, inferiorem Burgundiam, qua fines Austrasiae contingit, reliquerunt. Inter eos Theodericus regis Burgundici titulum sumsit, eumque in propagine sua continuatum ad Theodebertum atque Theobaldum transmisit. (a)

(a) Noluit equidem Theodericus, * etsi invitatus rogatusque, movere in Burgundiam, propterea quod in Arvernens proficisci statutum habebat, reverentiaque stirpis, unde uxorem duxerat, impediatur, Turon. lib. 3. cap. 11. Posteaquam vero occupata est, iure suo, quod certe pari necessitudine, et connubii titulo insuper nitentur, fraudari non potuit, quandoquidem mores illorum temperum nobis etiam succedendi ius dabant, quod cum exemplis aliis, tum hoc Francorum instituto comprobatur. V. gest. Francor. epitom. cap. 14. Turonens. lib. 3. cap. 1. Vnde explicandus est Agathias bell. Goth. lib. 1. Conf. Paulus Diaconus de gest. Langobard. lib. 2. cap. 10. Eadem consuetudo apud alias gentes nationesque valuit, quod testatur de Danis Adamus Bremensis, quum filios Canuti ex pellice susceptos, aequam haereditatis partem sortitos fuisse refert, ac institutum a more barbarorum arcessit, lib. 2. hist. eccl. cap. 54. Apud Norvagos de nothorum successione lex sancita est, proptereaque Haqvinus Adelstanus Haraldi pulchricomi filius naturalis, regnum Norvagiae Erico filio Haraldi legitimo ereptum retinuit, Andr. Severin. Vellei. not. ad Brem. d. l. Snorre Sturlesonius in Chron. Norvag. in quo p. 67. artes, quibus Haqvinus usus est, pulchre commemoravit. Auctor etiam est Liutprandus, Graeco-Romanos non matris dignitatem, sed Patris respexisse, lib. 5. cap. 5. Nec Henetorum Principes id a sua dignitate alienum putarunt, et cum filiabus ex non legitima coniuge susceptis ius connubii habuerunt, ut videre est apud Abbatem Stadensem in Chron. ad an. 1164. Similiter nulla lex impedit eligi Pontificem Romanum ex toro non legitimo natum, est opinio atque consuetudo hic pro lege est, Guicciard. hist. lib. XX. pag. 952. ** Hugo Grotius pronunciat, Septentrionalium gentium more nothos et legitimos esse pares, de iure B. et P. lib. 2. cap. 7. Quamquam haec consuetudo ad omnes in universum Septentrionales non pertinuit, quod de Islandis constat inter omnes, et docet Arngrimus Ionas rerum Islandicarum lib. 2. pag. 101. Inspicienda ergo hic sunt cuiusvis gentis instituta et mores, quae vim legis habent. Cultiores enim populi a Principibus legitime natis potissimum regi voluerunt, siquidem id au-

Dd 2

Flori-

* Aimoinus de gest. Franc. lib. 2. cap. 7. tradit, eum Sigismundi Burgundionum regis filiam in matrimonio habuisse. Conf. Io. Stumpffii Chr. Helv. l. 3. cap. 63. De cuius fortitudine rerumque gestarum fama alias constat, quippe qui tantam sibi conciliavit auctoritatem, ut si quod damnum ei inferretur, armis vindicare posset, Conf. Guil. Paradinus annal. Burg. lib. 1. p. 47.

** Aimoinus autem ex decreto Syn. Remens. refert, non debere esse Episcopum natum ex consubina lib. 5. cap. 45. Vnde a minori ratio potest duci ad maius.

Floritati imperantium conducit, maioremque reverentiam parit. Itaque Clotharius I. Theoderici Aurelianorum et Burgundionum regis filios nothos, tanquam natalibus et dignitate impares, e medio sustulit, ut a successione excluderentur. Et si enim aliae odii offensionumque causae erant, quae ad comprimendos seditiosorum conatus opprimendosque eorum auctores spectabant, tamen haec ab instituto quoque non aliena est, et adducitur a Io. Bussiario lib. 1. pag. 165. Valuit autem certe ad arripiendum ambitionis et crudelitatis praetextum, quando Clotharius, quid Theodericus eorum pater destinasset, non ignarus, hanc potiundi in universum Francogallorum imperii viam inibat. Illud vero rerum temporumque eventis non congruit, quod existimavit Iohannes Ludovicus Gottfried, regnum Burgundiae connubio Clothildis pervenisse ad Clodovaeum, in Archontologia Cosmica p. 125. Nam I. Clodovaeus id vultigale quidem sibi reddidit, minime tamen ditioni suae subiecit. II. Post decessum Clodovaei Burgundia adhuc prisca Vandalici generis reges habuit Sigismundum et Godomarum. III. Burgundia Cis Ararica cessa est Clodovaeo, non tam dotis, quam satisfactionis iniuriae titulo, propterea quod Clodovaeus se pro laeso ferebat, quum Gundobaldus promissum tributum non solverat, atque cum fratre suo Godegisilo crudeliter et iniuste egerat, pactaque, quorum socius et sponsor erat Clodovaeus, non servaret: thesauros autem dotis loco habitos, iam tum Clodovaeus per Aurelianum repetiverat atque acceperat. IV. Omnino autem Clothildis Clodovaeum, et post haec superstites Clodovaei filios ad arma Gundebaldo et soboli eius inferenda instigavit, praesertim quum signa ultionis, cuius magna cupiditas occupavit Clothildis animum, passim in Francorum monumentis expressa occurrant. V. Maternum ius, quod a Chrotilda derivatum est, eo valere non potuit, ut viventibus Gundebaldi filiis successio praeriperetur. Ab eventu enim mortis liberorum virilis sexus quendam efficax esse debebat. Nec accurate scripsit Bernardus Saccus hist. Ticinens. lib. 7. cap. 18. in digressionem ad Burgundiae regnum, Claudii (Clodovaeum innuit) filios post Gundebaldi tempora dominium Burgundiae divisisse, quippe quod demum post tempora Godomari evenisse, manifestum est.

§. II. Post haec Theobaldus vita functus est, cui successit Clotharius I. ex affe haeres, qui cum pro gloria nihil non tentaret, tum fortuna eum ita adjuvit, ut totius Francogalliae imperio potiretur. Sed humanae res sunt, regna, quae sub uno florent, divisa minus potestatis retinent, nec sine damno minuuntur: praesertim quum odia et aemulationes passim gliscunt, malisque auctoribus foventur. Quod his temporibus infeliciter accidit, quando fratres et necessarii sumptis armis grassati in seipsos, omne crudelitatis genus usurparunt, nec ambitiosae et ferendis discordiis infestae mulieres, Fredegundis atque Brunehildis, defuerunt, suscitatisque diffidiis

fidiis novum ignem subiecerunt. Fuit autem haec divisionis ratio, ut inter quatuor Clotharii filios sortito sua cuique pars obveniret: quo pacto Burgundia Guntramno attributa est, qui postquam nullos liberos genuit, adhibito orbitatis remedio, nepotem ex fratre Childebertum haereditatem instituit, post cuius decessum Theodericus, alter eius filius, regnum Aureliano- rum Burgundionumque suscepit, atque ab avia, cui Brunehildis nomen erat, instigatus funestum bellum excitavit, captumque fratrem occidit, plura ausurus, si vitam inmani facinore pollutam produxisset. Neque Theodeberti liberis paritum est, cum Brunehildis incepto non desisteret, et ambitione vasisque consiliis Theoderici crudelitatem subinde stimularet. Igitur odio adversus Clotharium II. concepto accendebatur ad novum bellum, iamque ad id magnis viribus gerendum se comparabat, quum subita atque improvisa mors Theoderici ad obtinendum totius Franciae imperium aspirantis ferociam, quam nulla ratio reprimere poterat, extinxit. Ita Clotharius II. pariter metu liberatus, et magnis fortunae accessionibus auctus, Burgundiam cum omnibus Franciae regnis de integro coniunxit, et aequo iure administravit. Rectum Patris exemplum secutus est Dagobertus, qui, quanta cura potuit, leges et instituta Burgundionum conservavit, et proceres populumque honoribus et beneficiis ornavit. Ei in regno Burgundiae successit filius natus minor Clodovaeus huius nominis II. qui cum a se consilia inire non posset, nihil nomine suo dignum fecit, praesertim quum dura difficilisque esset fortuna temporum, sensimque cresceret libido praefectorum, unde novi post motus sunt excitati. Hinc Clotharius III. natus maximus Clodovaei filius, ad regnum Burgundiae pervenit, pacisque studia et honestas artes, auctore Erchinoaldo, retinuit, (Vid. Fredegarius cap. 84.) quo defuncto, regni praefecturam Ebroïno dedit, qui fraude et malevolentia usus, nihil regi, praeter auctoritatis simulacra, reliquit. Inter haec speciosa servitutis commenta quarto regni anno moritur Clotharius, in quo omnis prope gloria regum primae stirpis defecit, et pax una desit, et magnae contra ex illo tempore calamitates coeperunt. (b)

(b) I. Regnum Burgundiae Franco Merovingi iam cum Austrasia, iam cum Neustria conunxerunt, atque ita in familiae suae patrimonium redegerunt, ut, quatenus Franci, eius reges dominique essent: Franci, inquam, sive in Orientali, sive in Occidentali Francia rerum potirentur. Fuit enim apud Francos Austrasios tempore Theoderici, Theodeberti et Theodebaldi. Debinc ad Clotharium Svevsonum regem, hinc ad Guntramnum pervenit, qui Aureliani simul et Burgundionibus imperabat. Svevssiones autem et Aureliani extra Austrasiam siti sunt, atque adeo tunc ad ius ditionemque Francorum Austrasiorum minime poterat pertinere. Postea ad Childebertum Austrasiae regem rediit, atque hinc iterum ad Theodericum

Aureliianorum et Burgundionum regem delatum est. Tum ad Clotharium, atque inde ad Dagobertum Neustriac Austrasiaeque regem, et ab hoc deinceps ad Clodovacum est devolutum, quo extincto, Childericus Austrasiae rex Burgundiam sibi vindicavit. Quod ostendi potest ex Turonensi, eiusque Appendice, et Aimoino, Chronico Benigniano, annalibus Burgundicis editis et manuscriptis perspicere licet. II. Ab eo autem tempore, quo Merovingi Burgundiam acquisiverunt, divisa quidem est, et diversos etiam deinceps praefectos habuit, sed regni nihilominus titulum retinuit, ea tamen lege, ut regnum Franciae prius potiusque esset, nec Burgundia aliter, quam eius aliunde facta accessio haberetur, quod ratio acquirendi et titulus eventaque illorum temporum aliunde ostendunt. III. Sive ergo Franci Austrasii, sive Neustrii regnum Burgundiae tenuerunt, non fuit aequalis cum Francia acquirente dignitatis, propterea quod eius ex alia causa quaesita accessio fuit. IV. Equidem iura et leges Burgundionibus relicta sunt, ut firmiter tutiusque in officio retinerentur, quas ratio imperandi utilis est, et sapientibus probata, quum illis rebus servetur tranquillitas, si avita et sua cuique propria instituta non mutantur penitusque abrogentur, Vid. doctoris ab Hetruria Nicol. Machiavelli Princeps cap. 3. V. Nec solum aetate Merovingorum, sed etiam Carolingorum suis instituta usi sunt, quod supra ex Agobardo commonstravi. VI. Praeterea Burgundiones, perinde ac alii populi, iura sua beneficiaria habuerunt, quae Franci adeo non antiquarunt, ut procerum quoque dignitatem, et vetera populi iura conservarent. vid. Hugo Gratius de I. B. et P. lib. 7. cap. 7. num. 31. Franci enim pro summo in Nobilitatem studio Optimatum Ordinem gratia et honoribus subinde ornabant, et ab hominibus inferioribus ac plebeis, quos leudes vocabant, sollicitè distinguebant. Vid. Sibrandus Siccardus ad Frisonum leges pag. 67. Gottofr. Wendelinus in glossar. Salic. in vocab. Leode. Saepè tamen Francici scriptores leudes * nominant, quos fideles et sequiori iure Vasallos nominamus, in quam sententiam expono Fredegarium, qui cum de proceribus et leudibus Burgundiae memorat, tum sine dubio hanc significationem innuit, in epit. c. 54. conf. Aimoinus l. 4. c. 53. ubi hos leudes elogio probatissimorum atque illustrium ab inferioribus et plebeis distinxit. Conf. Goldast. rer. Alemann. tom. 1. c. 8. p. 132. VII. Quare non est, cur putemus, Burgundiones servilem in modum fuisse subiugatos, quando sub supremo Francorum imperio iura et leges, beneficia itemque agros suos retinuerunt, et postero etiam tempore insigniter, ac deinceps praeter modum sic creverunt, ut aetate Caroli Martelli Merovingos ignavia solutos spernerent, defectionemque agerent, et denique lapsis Carolingorum rebus ipsi novos et proprios peculiareque reges habere inciperent, suisque iuris fierent, ac diu eo statu florent. VIII. Vtunque ergo armis victi, in ditionem Francorum venerunt, tamen argumento conservatorum iurium atque privilegiorum intelligi potest, Burgundiones non fuisse habitos eo loco, quo alioqui habentur armis devicti, atque

* Hunc ad modum quoque interpretatur Io. Buffheres H. Fr. lib. 3. p. 218.

atque adeo servitute non fuisse oppressos. * IX. Non autem una atque eadem omnium Burgundionum fuit conditio, quum Proceres, qui iudiciis praeerant, ex Nobilitate lecti, comites dicebantur, ad quos rescripsit Gundebaldus, tit. de reis corripicendis. Penes eos ut consilium iurisque dicendi auctoritas in antiqua Burgundionum republica erat, ita subscribere et subscribere publicas leges consueverunt, et assensu approbationeque sua ad modum pactionis confirmarunt. Vid. praefatio legis Gundebaldicae. Postea vero, quam summa rerum Burgundicarum ad Francos delata est, superiores reges potius, quam regnandi rationem modumque amisit, quandoquidem etiam sub Francorum praefectis Burgundionum iura privilegiaque inviolate servata sunt, ac in eo statu quoque sub regibus II. stirpis manserunt. X. Atque hunc morem Franci deinceps ita tenuerunt, ut cum aliis populis similiter agerent, praesertim cum Saxonibus, iis nempe, qui Nobiles ingenuique erant, quos servilem in modum non deprefferunt, sed unius reipublicae societate sibi coniunxerunt, ut in Francorum Austrasiorum regno, ad quod ab anno 785. pertinuerunt, iuris legumque communione fruerentur, quod in VVittekindo M. et notis ad Albertum animosum ex Monacho Corbeienſe, et Magistro Adamo nuper demonstravi. Quare imprudenter scripsit Sibr. Siccama, Francos universam Germaniam servilem in modum subiugasse, in notis ad LL. Fris. p. 71. Etsi enim Carolus M. Saxones transalbinos patriam multatos in Franciam tranſtulit, ** non id tamen ad reliquos Saxones, qui libertatem sibi pacti sunt, porrigi debet. Iure autem laudatur Carolus M. quod non ut Romani veteres, per excidia gentium, sed per colonias *** tranquillitati temporum pariter et securitati suae consulere voluit: plenus enim crudelitatis, atque a Christianarum gentium mansuetudine alienus est modus, qui ad penitus evertendum dirigitur. Vid. Machiav. Princeps cap. 5. XI. Caeterum Burgundiae Praefecti paulatim hac dignitate viam sibi ad Successionem muniverunt, quando regnabat in Burgundionibus Guntramnus, ut docet Gvil. Paradinus, ex eoque Nic. Vignierius p. 26. **** Ac hi dicebantur praefecti palatii (Burgundici) item Patricii, et maiores domus apud Fredegarium cap. 54. 92. apud Turonensem lib. 4. c. 24. 30. et apud Aimoinum lib. 4. c. 39. ubi VVillebaldus dicitur patricius transiuranus ****, qui a praefecto palatii Burgundici fuit diversus. Nominantur etiam Maiores domus, apud

* Ius comitorum habuisse, vel id docet, quod ius creandi, id est, declarandi atque inaugurandi reges, aequae ac Franci habuerunt, Fredegarius cap. 79.

** Annal. Fr. ad A. 804. Adelmus Monachus ad A. eundem.

*** Coloniarum exempla sunt apud Halicarnasum l. Tacit. hist. III. Iustinum XII cap. 5. Hinc Plinius urbes genitas vocat, quae ab hominibus per colonias distributis conditae fuerunt, l. 5 cap. 19.

**** Nondum vero tunc haereditaria lege eas dignitates habuerunt.

***** Transiurani, suos peculiare praefectos habuerunt. Regio transiurana complexa est Helvetiam, Vindensiam et Ergotiam. Coctius in Dagob. cap. 7 p. 67. Helvetia vel Orienti obversa est, et Alemannica, vel in Occidentem vergit ad Iuram montem, quae Burgundica dicitur, ac praecipue hic intelligitur,

*pud eundem lib. 4. c. 6. XII. Ceterum Burgundiae praefecti paulatim hac dignitate viam sibi ad capessendos haereditaria lege magistratus muniverunt, quando regnabat in Burgundionibus Guntramnus, ut docet Guil. Paradinus, ex eoque Nic. Vignierius in Chron. Burgund. p. 26. XII. Eodem fere tempore Marchia apud Austrasios coepta videtur Goropio Becano, quum Chochilaichus Danorum rex classe in maritimam Belgii oram inuectus, magnam ibi vastitatem fecit, apud Turonensem l. 3. c. 3. Conf. Ado Viennensis in Chron. et novissime Ioannes Molanus in militia sacra ducum Brabantiae cap. 2. Ac si maxime hinc Marchionatus Antverpiensis primordia ducenda non essent, vix tamen dubitare licet, quin sequiores Normannorum depredationes instituendae illic limitum praefecturae occasionem dederint. * XIV. Quamquam vero Hunni Hungarique Burgundiam invaserunt, nulli tamen ibi fuere Marchiones, qui Burgundici dicerentur. Omnino autem in Gallia Narbonensi instituti sunt Marchiones, qui propterea Marchiones Gothiae appellati sunt, quod VVestrogothi suas quondam sedes illic habuerunt, unde acceptum est Gothiae nomen, Narbonaeque inditum, diu permansit. Quia vero eius regni, quod Gotbi ibidem condiderunt, caput olim Tolosa, postea Marchionibus illis obnoxia fuit, Comites deinceps Tolosatam, atque hinc commutata appellatione Comites S. Aegidii ab huius nominis provincia dici coeperunt. De quibus vid. Alphonsus Del Bene in libro de gente et familia Marchionum Gothiae, eius nempe, quae alias Septimania vocatur.*

* De limite Austrasiae contra Venedos firmato vid. Fredegarius c. 75.

§. III. Clothario III. proximus iure erat Fr. Childericus, qui non magno interiecto temporis spatio, Theodericum Burgundiam sibi praeripere volentem represit, regno autem illo potitus, non modo non sustinuit expectationem procerum, sed imprudenter quoque eorum animos a se abalienavit, et Badillo quodam gravius multato, in exitiale periculum incidit, atque per insidias postea est necatus. Ea caede facta, Theodericus Fr. regnum Burgundiae suscepit, quum iam sensim spes redintegrandae Francorum gloriae amittebatur: ei successit filius Clodovaeus III. qui Franciae Burgundiaeque regnum brevi tempore tenuit, quo rebus humanis exempto, prisca Clodovaei M. indoles plane exolevit, perinde ac si vetustas, quae alioqui res multas conficit saepeque consumit, corrumperet quoque ingeniorum vim, moresque mutaret. Nam qui postea regnavit Childebertus II. officium suum pariter, et veterem disciplinam deseruit, mentemque a labore ad otium convertit: quibus rebus evenit, ut Praefecti, quos ab Ebroino inde nimia ambitio extulit, nunc omnem fere regni potestatem usurparent. Inter hos Gerardus quidam Ruscinone oriundus, sprete sequentium regum auctoritate, ad ipsum quoque regnum Burgundiae capessendum excitatur, occupaturus etiam, nisi Carolus Martellus ambitiosa haec consilia antevertisset,

mo-

molientemque res novas in tempore oppressisset. Ita vero langventibus Merovingorum animis, amplitudo splendorque Caroli (c) huius auspiciato crevit, Burgundiaque armis ipsius vindicata, deinceps ei regenda obvenit, mercedemque hanc insuper ipsi rependit, ut hoc veluti gradu filius eius Pippinus ad maiorem potentiam eniteretur, atque in locum Childerici III. quem stupidum vocant, surrogaretur, atque ad ultimum inglorio ac pudendo sine gens Merovingorum regum terminaretur. (d)

(c) Titulum regis non sumpsit Carolus Martellus, potestatem revera habuit, v. Annal. Franc. ad an. 741. Sigeb. ad an. eund.

(d) Nostra hic refert, ut series Francorum regum primae stirpis manifestior sit, quam in extremo huius capituli oculis subiiciam planiusque ostendam. Prius vero, quam id faciam, operae pretium erit, distinguere Franciam, quae vel est trans vel cis-rhenana: transrhenana vel est Sicambrica, prisca nempe et prima, non a Sicambria Troianorum, ut comminiscitur Turonensis, sed a Sicambria Batavorum nomen hoc adeptae, vel ab hac deducta emissaque est in alienum solum; hoc autem vel est barbaricum, quod Germaniae transrhenanae appellatione continetur, quale est, quod Sala et Moenus rigant, quorsum migrarunt, quando Burgundiones inde in Germaniam I. discesserunt, sive ut alii colligunt, quando Alemanni in praelio apud Tolpiacum succubuerunt, vel est Romanum, idque cis rhenum, uti sunt Tongria, Toxandria*, atque hinc est Francia Curbenana, quae Germaniae II. finibus comprehenditur, etque Ripuaria, quam Honorius Franci attribuit, annumeratur. In hac Cis-rhenana primus rex fuit Pharamundus, quod ex Turonense vel hoc documento liquet, quod affirmat, Francos transisse Tongriam (in vulgaribus codicibus mendose legitur, Toringiam) et iuxta pagos, et civitates, reges sibi designasse, lib. 2. c. 9. Tongria autem cis Rhenum iacet, et pagi ac civitates Romanae ditionis limitem certo demonstrant. Ratio enim instituti, totusque illius historiae contextus, et cohaerens continuatusque scribendi modus postulant, ut pagi in ius Romanum descripti, et civitates** in Curbenano et Belgico Romanorum solo extructae intelligantur. Vel denique est Romanum solum in ulteriores Gallia, quae postea desit esse Romanorum Gallia, quam Franci in ea regnarunt, Galliamque adeo suam fecerunt, ac

Ee

iure

* De Toxandria insignis est locus apud Ammianum Marcellinum libr. XVII. quum ait, Francos in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula sibi figere ausos

** Tales sunt Colonia Agrippina, Tongri quae et urbs Tongrorum Turonensi dicitur (lib. 2. cap. 5.) Cameracum, quas Turonensis Antistes hic innuit, et lib. 2. cap. 40. et 41. commemorat. Eo vid. Lemmata antiquitatum Francicarum s. 4. et 5. Alioqui haud nescio, Germanos ultimos quoque civitates (societates iure imperandi et parendi constitutas) habuisse, vid. Tacitus de situ et mor. German. cap. 15. et 26. collatis,

iure successionis * fundarunt firmaruntque. Vnde coepta est dici Francorum Gallia, quam alias Francogalliam appellamus, ut a Francia Germanorum Orientali, sive Austrasca et Lotharingica distingvatur, propterea quod Franci, qui ad limitem hunc Germaniae Orientalem progressi sunt, animumque manendi retinuerunt, origine pariter et sede domicilioque ius atque nomen Germanorum conservarunt. Quamvis de caetero unus omnium Francorum e Germania ortus sit, recteque a transrhenano ** limite reperatur, quoniam hinc egressi, regiones cis rhenum infestarunt, ac deinde ulterius processerunt, totamque Galliam occuparunt. Quam ipsorum profectiorem tradunt et abunde confirmant scriptores veteres, atque originem eorum Germanicam ingenue consententur. Trebellius Pollio, et Flavius Vopiscus sedibus transrhenanis excisos, in Gallias irruisse narrant, atque adeo ex Germania barba-

rica

* Aimoinus lib. 1. cap. 12. qui cum affirmat, Clodovaeum iure haereditario successisse, tum interpretatur verba Turonensis in eandem sententiam concepta, lib. 2. cap. 27. Ac de Clodovaei et Pharamundi dispari potestate testari potest exemplum severitatis apud Aimoinum lib. 1. cap. 12. cum LL. Sal. tit. 40. et 49. collatum.

** 1. Hic reicimus originem ex Troianis. 2. Amovemus fabulosam Sicambriam. 3. Nec eam apud paludes Pannoniae finitimas, sed trans Rhenum inferiorem collocamus. 4. Nihil nos movent confictae narrationes Hunibaldi, Iosephi Gorionidae, et aliorum, quae priscis et probis monumentis destituuntur. 5. Apud inferiorem Rheni limitem habitasse etiam, ex Sulpitio Alexandro, et Renato Profuturo Frigerido, quorum reliquias servavit Turonensis, idonea ratione potest colligi. Vid. lib. 2. cap. 19. Nam ex Pannonia profectos, nullo auctore idem docet, cum tradunt, inquit, multi eosdem (Francos) de Pannonia fuisse digressos. Nihil verior est narratio Aimoinii l. 1. c. 1. de gest. Franc. 6. Concio Clodovaei, quam adduxit Aimoinus lib. 1. cap. 16. a me admittitur, quatenus rebus factisque illorum temporum congruit. Id enim ex ingenio comminisci mihi videtur, quod Clodovaeum introducit Troiugenas appellantes suos Francos, quos aevus Troiugenas dixerunt. Ibidem, quod cursim moneo, Aimoinus temporum suorum credulitate deceptus, de chrismate, cum sacro fonte ablucetur Clodovaeus, a columba allato tradit, praeter et contra historiae antiquioris fidem, V. et eo nomine Turonensis, aevi scriptor Merovingici sineque dubio scriptori temporum Carolingicorum praeferendus, qui de chrismate per columbam allato nihil commemorat, lib. 2. cap. 31. 7. Cum fontes Sicambriae perquirimus, tum apud Tacitum, scriptorem Romanum, fideque dignum invenimus, Sicambros excisos, et in Gallias traictos, Annal. XII. 39. 8. Franci igitur aut descenderunt ex his Teutonicis Sicambriis, aut si non origine Sicambri sunt, utique tamen successerunt in eorum locum, postquam a Romanis partim eversi, partim in Gallias traducti sunt. Videntur tamen, ut multorum sententia est, Tencteri quoque et Bructeri partem Sicambriae obtinuisse, limitemque illum accoluisse. 9. Vnde sequitur, Francos, quum a Sidonio, Remigio, et scriptoribus Francis appellantur Sicambri, ex Sicambria Germanica trans Rhenum adventasse.

rica et magna sese effudisse, confirmant. * Procopius et Agathias discrete Germanos vocant, ille lib. 1. bell. Gotb. hic eiusdem continuat. lib. 1. Nec abludit testamentum Remigianum, quod apud Flodoardum in historia Remensi extat, argumento vocabuli Bischofesheim, quod sua et vernacula, certeque origines Germanicas denotante lingua ibidem dicitur usurpasse Clodovaeus. Quamquam vero id testamentum longe multumque a simplicitate aevi Merovingici, atque imprimis a modestia Remigii discedit, praetereaque coeptum apud Francos seculo IIX. ritum, et IX. insuper fabulam complectitur, tamen ex eo manifesto apparet, temporibus Karolovingorum, qui per feminas ex Merovinga stirpe oriundi sunt, Francorum ex Germania originem creditam, monumentisque mandatam fuisse. Sed enim Franci, postquam Galliam subegerunt, incolas Romano iuri assuetos legibus suis vivere permiserunt, atque hi sunt illi Romani, quos LL. Salicae a Francis, et Burgundionum a Burgundionibus identidem distinguunt. Ad rem hanc spectat, quod de Gundebaldo scripsit Turonensis. Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent, lib. 2. cap. 33. *Ii autem, qui inter Romanos, quamlibet impari conditione habitabant, rurique agebant vitam, et agros colebant, barbari dicebantur. At vero posteaquam Franci, depulsis Romanorum Imp. praesidiis, in Gallia regnabant, meliori loco esse coeperunt, Romanisque exaequati, quinimo et praelati fuerunt, LL. Salicae tit. XLIII. 1. et 8. Similiter in LL. Burgund. in quibus Burgundiones et Romani in pari conditione constituuntur, tit. X. XV. XXVI, aliquid favori barbarorum datum est, relicto nihilominus inter utrosque discrimine praevogativae, tit. LV. par autem servorum Romanorum atque barbarorum aestimatio est, t. X. 2. colligiturque adeo, barbaros ab his advenis liberalius, atque a Romanis, qui nuper ibi regnaverant, fuisse habitos, melioremque sic fortunam pariter et aequiorem conditionem obtinuisse. Quod autem t. XVII. de pugna Mauriacensi inseritur, id spectat ad praelium in campis Catalaunicis contestum, quod verbis Iornandis explicare liceat. Convenitur, inquit, in campos Catalaunicos, qui et Mauricii nominantur, de reb. Get. pag. 118. Absurdi ergo sunt, qui campos Catalaunicos trans Ligerim quaerunt, Galliaeque Narbonensi, aut Aquitanicae adscribunt, propterea quod certis documentis constat, Attilam cum Aetio, eiusque sociis Theoderico et Merovaeo in Campania Gallica, atque adeo cis Ligerim, dimicasse. In quo consentiunt rerum Burgundicarum scriptores fere omnes, simulque his Paulus Merula doctus Cosmographus applaudit.*

* 1. Φεγγυοι Procopio, et melioris notae scriptoribus, a Germanis, plerisque Graecis cupientibus Φεγγυοι nominantur. 2. Eos Libanius in panegyrico Iuliani tanquam Φεγγυοι, morem potius, quam nominis ratione, dictos putat. Passim enim multa de Francorum ferocia literis mandata sunt, quam in sententiam ex Sophistis Eumenium, et Poetis Lucanum adduco, quorum ille Francorum mores inconditos, naturalemque ferocitatem animorum enarravit: hic quoque eos ab ultima Batavia egressos per Batavos truces designavit. Spectantque huc omnes, quotquot de feritate Sicambrorum tradiderunt, veram praescamque Teutonum,

nium Sicambriam, sive Franciam Sicambriam, inuuentes. Francia enim Tongrica, cuius Prosper Aquitanus in Pharamundo meminit, recentior est, firmisque rationibus ex Turonense probatur. 3. Omni iure autem eos deserimus, qui nullo verae lectionis argumento *φραγκός* apud Strabonem inveniri opinantur. Illud quidem largior *κελτός* ab eo nominari, nec vero denotari alios, quam Gallos, propterea quod Strabonis aeo Franci nondum hoc nomine appellati, in Germania barbarica, sive Erancia Sicambrica consistebant. 4. Primum autem meliori successu, et animo manendi seculo V. in Galliam sese effuderunt, et sive ductu auspicioque Merovaei, ut vult Iodocus Coccius, sive auctoritate imperioque Childerici, Merovaei F. ut sentit Fr. Hottomannus, Franciae nomen Gallis addiderunt. 5. Stephanus Byzantius ex Parthenio Phocaeo refert, Francos gentem Italiae iuxta Alpium montes fuisse, ut forte subindiceret, Francos, subacta Gallia, usque ad fines Italiae regnasse. 6. At vero de Gallis interpretantur alii, quippe quos Graeculi posteriores *φράγγες* vocasse videntur. V. Thomas de Pinedo in observat ad Stephan. Byzantium de urb. in hoc vocab. 7. Quae significatio est ad hoc institutum non pertinet, atque insuper haud propria est, minimeque congruit accuratae historiae civilis argumentis, tamen in hoc abusivo loquendi genere sic comparata est, ut *Κελτοίς ὑπὸ τοῖς Ἀλπεῖς* (sub Alpibus, id est, Gallis in alpinis, sicut Cisalpinis.) conveniat, quos Strabo tanquam *Ἰταλίας* Gentem Italiae *ἀντιπελαγονίας* Transalpinis distinguit, nihil autem de Francis dicit, quippe tunc ne nomine quidem ipsi cognitis, quum in ultimo Rheni limite positi, Gallias nondum ditionis suae fecerant. 7. Improprius ergo loquendi modus, quo plerique posteriores Graeci usi sunt, nunc adhiberi non potest ad veteres idoneosque scriptores explicandos. 8. Neque ratio scribendi Dionis finit, ut eius *κελτοί* paria faciant cum *κελτοῖς* Strabonis, quandoquidem ille per Celtas sane transrhenanos denotavit. 9. Similiter Francorum nomen etiam a posterioribus Graecis laxius sumptum est, atque olim, illis praefertim temporibus quibus fama de sacro Francorum bello percrebuit, eorumque nomen tot tantisque successibus nobilitavit, ut generatim ad denotandos Occidentis populos adhiberetur. 10. Nihil hic addam de comparatione prisca, ex sequioris Francorum iuris. Prius enim, quod Saliqum appellatur, rudi stylo, Romano tamen, et simplicitate vel maxime a postiori distinguitur. Sane iam sua aetate Fridericus II. Imp. subtilitates nimias, cavillationes atque captiones iuris Francorum in Sicilia antiquavit, Const. Sic. libr. 2. t. 17. Infra demum sequitur Franco-Merovingorum genealogia.

* Si proprie autem Franci denotantur, dicendum est, *provincias subalpinas* tempore Merovingorum quoque Francis fuisse obnoxias. Postea autem Carolus M. Alpes ipsas imperio suo coniunxit.

CAPVT VI. ET VLTIMVM.
DE REGNI BURGUNDICI AD FRANCO-
CAROLINGOS TRANSLATIONE.

CAROLUS Martellus, rebus ex sententia confirmatis, Pipinum natu minorem filium Neustriae Burgundiaeque rectorem imposuit, quem fortuna procerumque Francorum favor usque eo evexit, ut decreto publice facto